



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1415. usque ad annum 1431

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1768**

**VD18 90118294**

§. 7. Joannis de Curtacoxa Doctoris extrema.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66272](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66272)

sententiarum, item de laudibus S. Scripturæ; plures libri spirituales, ac Ascetici de variis materiis; Meditationes in quosdam Psalmos (\*), in Cantica Cantorum, in salutationem Angelicam, in Cantica B. Mariæ, & Zachariæ, & Simeonis; in orationem Dominicam; Scripsit *sacramentale* quod vulgo Alliacense dicitur, necnon vitam S. Petri Coelestini; ac quosdam tractatus de potestate Ecclesiastica; de interdicto; de permutatione beneficiorum; de legibus; de Concilio Generali, denique tractatus de Astronomia, de Sphæra, & de Meteoris Aristotelis. Cuncta ista opuscula publicis literis impressa exstant. Plura tamen alia necdum typis edita asservantur in Navarrensis Collegii Bibliotheca. Palmam vero reliquis præripuit Commentarius de reformatione Ecclesiæ, qui nil nisi plurius aliorum hujus materiæ operum Synopsis est.

Sæcul. XV.  
A.C. 1425.

§. VII.

*Joannis de Curtacoxa Doctoris obitus.*

Circa idem fere tempus, aut forte anno elapso mortuus est Joannes de Curtacoxa Doctor, & primum Parisiensis, postea Genevensis Episcopus, Gallice dictus

Dupin.  
Bibliot.  
script. tom.  
12. p. 84.

L1 4

Cour-

(\*) Scilicet 30, & 41<sup>um</sup>.

Sæcul. XV. *Courtecuisse.* Natale solum adeptus est  
A.C. 1425. Cenomani, & cum aliis Legatione functus est pro Galliæ Rege Carolo VI. ad Pontifices, Benedictum, & Bonifacium, ut sua industria pacis Ecclesiæ negotium promoveret. Subtractionis viam ipse suaferat, & absente Gersonio, Universitatis Parisiensis Cancellarii munus obibat. Anno millesimo quadringentesimo vigesimo Episcopus Parisiensis nominabatur, cum vero apud Angliæ Regem, qui tum temporis Lutetiæ Parisiorum imperabat, parum gratia valeret, Episcopatus sui possessionem consequi haud poterat, sed in Monasterium S. Germani de Pratis secedere, tandemque urbe Parisiensi relicta, omnino Genevam fugere cogebatur, ubi anno Christi nati millesimo quadringentesimo vigesimo secundo Episcopus renunciatus est. Hujus Viri lucubrationes lucem publicam non conspexerunt, quales sunt, tractatus de potestate Ecclesiæ & Concilii; variæ quæstiones Theologiæ; prælectiones in nonnulla Evangelii loca; & denique versio libri *de virtutibus Senecæ.*

## §. VIII.

*Ultima fata Emanuelis Palæologi,  
 Græcorum Imperatoris.*

*Phranz l. I.* Die etiam vigesima prima Julii hoc anno Emanuel Palæologus Græcorum Impe-  
*s. 41.*